



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ignativs Episc. M. 1. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

FEBRVARIVS.



S. IGNATIVS EPISC. M.

1. Februarij.

IGNATIVS ex Ioannis Apostoli scholâ docilis
 oppidè discipulus tam altè in pectus suum de-
 misit IESV amorem, vt hunc unum loqui lingua,
 huic unum dictare animus sciret, illud unum de-
 nique

C S

nique

nique in deliciis ei verbum esset, *Amor meus crucifixus est.* Certè quòd hunc ubique præ se ferret, gloriosum Theophori nomen reportavit. Illud quantum amantis animi robur fuit, cùm sanctè audax omnia tormenta, omnes mortes unus unicus provocare in certamen non dubitavit; cùm ad bestias damnatus, laborantibus ex hostili manu eripere Præfulem suum Christianis, solus nimirum ipse intercessit, DEI amore obtestatus, ne ad coronam currenti obfisterent. Et verò prægustassè, cùm Romam iret, ferarum rabiem sibi ipse visus est, in X. militibus, qui custodiae causâ additi, usque ad eò hominè exuerant, ut familiari joco leopardos eos vocitârît. Iam caveis emissi leones horrendo rugitu theatrum compleverant, & ecce IGNATIO piè adhuc ludere placuit. Frumentum CHRISTI se dictitabat, gestire molaribus bestiarum commoli, quò delicatus panis Superiùm mensæ apponeretur. Sed hem majus tibi miraculum! Elidunt fauces IESVM suum in clamanti ora crudelia: tacere lingua cogitur *amores* suos; qui expectas? frustrè silentium linguæ imperatur, ubi cor est eloquens. In hoc siquidem disertis literis exaratum repererunt familiare illud linguæ IESV nomen; breve quidem tam angustimonumentum, sed longè pulcherrimum Epitaphium. *Ex Sur. & Metaphr.*

Electuarium habes reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est IESVS, salutiferum certè, quodq; nulli unquam pesti tue inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu; quo tui omnes in IESVM sensus dirigantur & actus. S. Bern. serm. 15. in Cant.

S. EPHREM